Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 167

Quelle:
Copyright:

facit in *Hiſt. Typogr. ſupracit.* In *Ciceronis* tamen *Officia* eum quidpiam edidiſſe non reperi.

LXX. VIII. F. 30.

379 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 205. f. probe exaratus, forma pene quadrata complectitur *Commentaria in Pentateuchum*, quorum ea, quae in *Geneſin* ſunt, ad *Remigium* Monachum S. B. *Antiſſiodorenſem* pertinent, qui vivendo et docendo Seculum X. adtigit, et de quo videndus T. VI. *Hiſt. Literar. Franciae* a p. 99. Primum *Cod.* noſtri folium Sec. XIV. reſtitutum ſic habet: *In Nomine Domini Amen. Incipit expoſitio Remigij ſuper breſith. ideſt ſuper Geneſin.* Eodem charactere et minio additur: *Iſte liber iohannis veitmanſtaler presbiteri de feuſtritz eſt.* Exponitur primo Praefatio *Hieronymi* in *Pentateuchum ad Deſiderium* hoc initio: *Deſiderius vocabatur epiſcopus quidam familiaris et amicus beati ieronimi* &c. Dein: *Incipit textus breſith ideſt geneſis.* Sic: *In principio creauit deus caelum et terram; Auctor huius operis ſicut ſancti doctores tradunt. cognoſcitur fuiſſe moyſes* &c. Ultima ſunt: *Delectationes in dextera tua usque in finem. Amen. Explicit Commentum Preſith.* Commentum iſtud a *Remigio* elaboratum ſolus tradit *Anonymus Mellic.* c. 66. Neque id mirum; teſte enim *Bern. Montefalconio Diar. Ital.* c. 3. in *Cod. Padolironenſi Remigio* fere coaevo, in quo *Commentarius* ejus *in Marcum* continetur, Titulo adjecit Librarius: *In omnibus autem nomen ſuum tacuit, ut cum ſapientia culmen quoque humilitatis attingeret.* Nactus eſt tamen ſolertiſſimus *Pezius* Codices duos *Tegernſeenſem* et *Garſtenſem Remigii* nomine inſignitos, e quibus Opus noſtrum T. IV. *Theſ. Anecd.* p. 1. publicaret. His itaque tertium noſtrum accenſe. Praeter antiquiorum PP. Sententias Autorem jam etiam *Walafridi Strabi Gloſſam* compilaſſe argumento eſt Expoſitio illius: *Terra autem inanis et vacua.* quae enim ſequuntur: *Inutilis ſcilicet et infructuoſa et incompoſita. omnia enim elementa* &c. iisdem pene verbis in praedicta *Gloſſa* habentur. Ita et e *Rabani Comment. in Geneſin* totum locum ultimum a C. L. v. 23. ſuum fecit, ut conferenti patebit. Quare, niſi teſtimonium *Anonymi Mellic.* et *trium Codicum* obſtaret, facile quis omnem hanc *Geneſeos* expoſitionem *Walafrido Rabani* diſcipulo adſcriberet, motus maxime ſequentibus.

II. *fol.* 52. *Incipit Prologus Subſequentis Operis. Libri Exodi.* Audi Praefamen. *Huius libri quam ſubiectam cernis explanatiunculam. domnus hrabanus de dictis ſanctorum auguſtini hieronimi iſidori gregorii. et domni bedę. et aliorum ſanctorum venerandis congregans ſuis diſcipulis* (Fuldae) *auctoritate tradidit catholica. Quorum ego ultimus ſtrabus ipſam quanta potui breuitate ne penitus de memoria laberetur. notaui. humiliter lectorem depo-*